ELOGIA

CLARISSIMORUM VIRORUM

CAIETANI BONANNI

ET

AGNELLI CARACCIOLO

A

PAULO BURALI D'AREZZO

I. C.

CONCINNATA.

NAPOLI

NEAPOLI,
Typis Raphaelis Miranda
1827.

Digitized by Google

EXIMIO ET DOCTISSIMO VIRO

DONATO GIGLI

ACADEMICO HERCULANENSI

PAULUS BURALI D' AREZZO.

S.

Quum haec elogia duorum praestantissimorum Virorum, qui communi omnium luctu nuper e vivis excesserunt, typis mandare statuerim, ea nomini tuo inscripta in lucem prodire e re credidi. Tanta enim inter Te, et Illos ex morum similitudine amicitia intercedebat, ut adhuc hodie utrumque ante oculos tuos ver-

Digitized by Google

sari, et quasi tecum colloqui arbitreris. Quod autem attinet ad me, quum lustris fere duobus familiariter usus ambobus fuerim, tunc non animo, sed prope oculis meis obversata quotidie est ingens illa pietatis, et doctrinae vis, quae in iisdem inerat. Piaculum igitur duxi Illos silentio praeterire, nec, uti exemplaria, ante civium oculos exhibere.

Habes, Vir Sapientissime, epigrammatum meorum rationem, quae (qualiacumque sint) rogo, ut excipias illa animi benignitate, qua me semper es prosecutus.

Dabam Neapoli Kalendis Septembribus.

Digitized by Google

VIRO INGENIOSISSIMO

VATIQUE DISERTISSIMO

PAULO BURALI D' AREZZO

DONATUS GIGLI

Non bene, Paule, tuis mea nomina scripta libellis
Conveniunt, magno nomina parva viro.
Si sapis, et meritis dignum tibi quaeris honorem,
Scribe tua altitonis carmina Principibus.
Lilium ego breve sum; violaeque, humilique myircae
Jungor: te quercus, pinus et alta decet.
Quod si tanta tuo manet alma modestia corde,
Ut nulla ornatus laude libellus eat.
Nomen scribe meum, atque inglorius usque iacebit,
Arachnes tela, et pulvere sordidior.

Digitized by Google

IN CAIETANUM BONANNI

ARCHIEPISCOPALIS ECCLESIAE NEAPOLITANAE

CANONICUM

ET

CLERI A SECRETIS.

Sidere quantumvis , et fato iacter iniquo ,
Cum Te convenio , longius angor abit.
Nam si de Canonum dubius Te consulo verbis ,
Espenium e cathedra consuluisse reor.
Sive vetustarum me Legum aenigmata torquent ,
Mi novus incerto Papinianus ades.
Sive tuos specto mores , tam dulcia iuro
Mella per Hyblaeos non olnisse favos.
Hei mihi ! si cogant teneris contraria ab annis
Fata sodalitio me procul esse tuo :
A Te quae tristis me dividet hora , Bonanni ,
Illa meos etiam finiet hora dies.

SUB EIUS EFFIGIE

Arae , laetus eas , o qui cupis esse minister ;
Qua facile accedas , Hic tibi monstrat iter.

Digitized by Google

IN AGNELLUM CARACCIOLO

EX CLERICIS REGULARIBUS.

Carpere Avellinus * vix ut, Caracciole, vidit
 Te, quas virtutum carpserat Ipse vias;
Et per vibices confectum incedere crebras,
 Et per ieiunam saepe rigere famem.
Dum liquor Hyblaeus tua blanda per ora fluebat,
 Dum tuus implebat risus utramque genam.
Vidit et aegrotum quoque Te non parcere curis,
 Devius ut rectum rursus adiret iter.
Vidit, et esuriem quo pauperis aere levares,
 Vendere Te crepidas, vendere Te tunicam.
O paulisper, ait, *meus optime vive Sodalis*,
 Cum Superis moriens dignior ut sedeas.

SUB EIUS EFFIGIE

Agnelli si nomen habes, Tibi convenit. Agnus
 Mitior in medio gramine nullus erat.

* Divus Andreas Avellinus.

VA1
1546692

Digitized by Google

Digitized by Google